

illud proponit, quod est ab Urbano VIII. PP. Augustiniani Discalceatis concessum in Indiis Occidentalibus & Philippinis degentibus, vt scilicet tribus diebus continuatis festiuis promoueri possint à quocumque Antistite, quem maluerint, in propria Diocesi, aut in aliena, de Diocesani consensu Pontificalia exercente. Sic num. 226. qui tamen num. 227. asserit priuilegia dicta pro Orientalibus Indiis non fauere: sed Nos aliter suo loco demonstrauius.

Circa Caput XIV. De Sacramento Matrimonij.

300 **C**itatà nuper *Quaest. 98. s. 29. & Dubijs seqq.* de illo Auctor, sicut & *Titulo 12. & num. 170. s. dicti*, priuilegium Pauli III. Societati concessum exhibet, rogarque an in illo propriè dispensatio, an sola declaratio fit? Videtur hæc esse, quia matrimonia in gradibus diuinâ lege non prohibitis legitima sunt. Quia verò Pontifex voce dispensationis vtitur, censet illud ad hæreticos extendendum qui infideles reuera sunt, sed contra Ecclesie leges contraxerunt inuadè, & possunt virtute priuilegij circa gradus quoscumque dispensari, in quibus matrimonium celebrantur. Gradum primum excipit num. 175. & num. 174. cum alijs docet in primo gradu lineæ transfuersalis, vt fratrum, non esse inuadidum, & sic coniunctos non separandos; tunc si hæretici, de quo citat. num. 175. Pro quo & Leander Tomo 2. *Tractat. 9. Disputat. 12. Quaest. 9.* citans alios.

301 **N**um. 176. adducit dispensationem Pauli circa 3. & 4. gradum: contendit tamen non eo ipso esse dispensatos, sed posse dispensari: & probat ex Bullâ Gregor. XIV. die 21. Septemb. 1591. quam allegat D. Solorzano Tom. 2. *Lib. 1. Cap. 28. n. 50.* ibi enim Pontifex dispensationem necessariam statuit, & eam ad Mestizos extēdit. Sed certè nihil tale ex Bullâ deduci potest, quidquid Dom. Solorzano num. 51. videatur indicare, qui tamen se refert ad Fr. Ioannē Baptistam in Animaduersionibus pro Confessariis Indorum 1. *parte in Tabulâ, v. Mestizos*, vbi tenorem concessionis adducit, iuxta quam Indi & Æthiopes ex Christianis etiam parentibus nati, & in infantia baptizati; Neophyti censendi sunt, & iis mixtim progeniti admiscendi: *Vt vel matrimonio coniungi, vel in contracto remanere possint, siue eorum alter tantum, siue etiam vterque inde oriundus ac propriè indigena sit, in quibuscumque consanguinitatis, seu affinitatis gradibus, iure diuino (vt supra) non prohibitis, dispensare possit, concedimus & indulgemus.* Quæ sunt verba Pontificis. Vbi cum dispensationem pro omnibus concedat gradibus, non eo ipso, sed à Societatis Patribus tribuendam, non bene inde inferitur pro tertio & quarto esse necessariam, pro quibus iam concessio præcesserat; sed pro alijs; pro quibus facultas præcipuè quærebatur. Quaterones Mestizorum nomine non venire affirmat n. 172. de quo iam dictum.

302 **Q**uest. 170. multis probare pergit generaliter loquendo non posse coniugem conuersum cum remanente infideli cohabitare, etiam si

alter velit cohabitationem sine iniuria Creatoris. In Nouo tamen Orbe, & Æthiopia aliter faciendum, quia aliàs grauius incommoda sequerentur. Canonem Concilij Toletani defendit, etsi Prouincialem, quia Iuri insertum, Decreto inquam, quod Iuris auctoritatem habere contendit cum aliquibus contra plures à se adductos. Nihil profectò in iis, quæ à Nobis stabilita possunt demoliri.

303 **Q**uest. 176. statuit, cum Polygami conuertuntur, primam vxorem retinendam, cum qua verè fuerit contractum matrimonium. Quòd si hoc deprehendere non sit probabile, nulla est circa coniuges obligatio. In dubio autem dari posse facultatem Missionarijs vt dispensent, fore conueniens. Sed certè hoc non videtur admittendum: nam dubium aut vinci diligentia potest, aut non? si primum, & legitimus coniux comperitur, in coniugio permanendum: si secundum, stat resolutio præcedens de impossibili notitia: cessat ergo obligatio, quia respectu aliarum superari nequit, cum hoc pendeat à notitia coniugij omnium primi. Alia, de quibus ibi, de contrahentibus scilicet cum conditione repudij, valde verosimilia sunt, vt scilicet standum sit communi modo contrahendi, etiam si non sit conditio semper expressa, quæ est contra substantiam matrimonij, & ita in sic contracto nulla est obligatio.

304 **Q**uest. 177. contrarium firmat ei, quod *Quaest. 170.* vidimus asseruisse: vno scilicet coniuge non conuerso, eum, qui conuertitur, posse ad alias nuptias transire, etiam si infidelis velit sine iniuria Creatoris habitare. Cum modò ob auctoritatem Innocentij III. in *Cap. Gaudemus*, de diuortijs; statuat num. 4. regulariter non licere: qui citat *Quaest. 170. num. 4.* dixerat Innocentium agere de casu, in quo coniux vterque conuertitur. Limitationes addit. *Primo*, quando est lex aut consuetudo prohibens cohabitationem. *Secundo*, quando ex circumstantiis timetur periculum peruersionis coniugis, filiorum, aut familiarum. Sic num. 5. 6. & 7. & id auctoritate Concilij Limensis probat num. 8. addens in *sequentibus*, quòd si coniux infidelis requiri nequeat ob difficultatem itineris, non idè licet denuò contrahere, nisi circumstantiæ tales sint, ex quibus eum nolle conuerti verosimiliter coniciatur. *Tertio*, si fidelis pertrahatur ad peccatum mortale. Sic num. 13. Quod, vt diuersum sit à primo, intelligendum, cum cohabitatio admittitur, eo quòd nullum conuictebatur periculum, est reipsa deprehensa periculosa ex dictâ ad peccatum pertrahatione. Immo dicendum, etiam si fidelis ita constans sit, vt sibi inde non metuat, secedere posse, quia esset illud opus grauissimum. *Quarto*, per Pontificis dispensationem, quæ stare potest etiam in matrimonio infidelis consummato. Sic num. 18. contra aliquos. Et id posse conueniens ob conuersionem alicuius, aut multorum inde euenturam, iudicari, præcipuè si vniuersi populi, aut regni.

305 **Q**uest. 180. affirmat, & multis comprobatur matrimonium celebratum coram Parocho, qui contrahentium idioma non caller, sed interprete vtitur, esse validum, contra Basilium Donati. Sed certè vt ista sententia possit tuto sustineri,

stineri, interpretes Indus esse non debet, sed talis, cui merito credi possit. Vel adhibendi plures, ira vt moraliter constare de consensu queat. Vel si non plures, alia debent adminicula suffragari. Pro quibus sunt Doctores ab Auctore adducti *Quaest. 181.* multi enim dicunt absolūtè non sufficere vnum interpretem ad matrimonium contrahendum, vt videri potest *numer. 1. & 2.* si duo in loco haberi possint. Alij plures requirunt iuxta sententiam eorum, qui dicunt requiri plures quando non habent certas artis suæ regulas. Sic num. 2. s. *Tertia opinio.* Item, cum interpres non est cognitus, neque consideratè electus, neque à partibus, sed à Parocho. Præterea Parochus tunc tenetur credere interpreti dicenti se fuisse de consensu coniugum electum, quando est persona bonæ famæ, & non adest rationalis suspicio fraudis, sic num. 5. Denique interpreti à Republica electo & stipendiato creditur, qui de fideliter exercendo officio iurat, de quo s. *Tertius est casus:* est enim velut notarius publicus. Quæ omnia pro Indis non faciunt: vnde plures adhibendi in casu, qui videtur Metaphysicus: Parochus enim potest duo hæc verba addiscere, *Vultis maritari?* idque breuissimè, nisi stipes sit. Illis autem dextras iungentibus, & annucentibus, ad firmitatem satis. Quòd si difficultatem aliquam in memoria habeat, scribat, & scriptum legens interroget.

306 **Q**uest. 247. rogat an Indi validè contrahant, vbi ex consuetudine receptâ Gubernator explicat præsentium coniugum consensum. Et affirmatiuè responderet cum Veracruz & Matienzo, ac Pefancio, quia ex consuetudine illud est signum sufficiens expressiui consensûs, vnde etsi taceant, consentire probantur. Addit tamen, si reuera non consentiunt, matrimonium esse nullum, aut si consentiant ex non leui metu. Res prorsus periculosa & non toleranda, cum sciamus quantum per Indi Gubernatores timeant suos, & quàm illi durè imperent, extraneis quibusque frequenter duriores.

307 **Q**uest. 148. de varijs inquiri casibus, in quibus dubitari potest an sine assistente Parocho possit matrimonium contrahi. Et responderet ex Declaratione Clementis VIII. & S. Congregationis, esse tantum tres: quando scilicet ob persecutionem Episcopus & Parochus Ecclesiam deseruerunt, vel quacumque ex causa non sunt, quia scilicet mortui, aut occisi, aut relegati. Et quando etiam si adsent, latent penitus; vel si absentes sint, tuto adiri nequeunt: & item cum Parochus nequit haberi, nec de proximo speratur: tunc autem de proximo sperari censet, cum infra annum expectatur. Alios casus, quos graues Scriptores admittunt, reiecit, quia nullum bonum æquiuolare potest illi, quod ex firmâ Conciliaris Decreti obseruatione tenetur. Admissis enim varijs limitationibus, aut potius relaxationibus, ad frequentiores alios Ecclesie perniciosissimos veniunt. Idem tenet Leander *suprà, Quaest. 7.* qui & videndus *quæst. 8.* circa Clementis VIII. Declarationem non firmam. Sed certè cum probabiles opiniones sint tales casus ad nitentes, quas Ecclesia tolerat, in caluum eorumdem contingentia parùm cautio præstata molietur: viris ergo doctis negotium est huiusmodi relinquendum.

Theſauri Indici Tom. II.

dum. In Indiis autem, si Religiosi adsint, nulla est difficultas, quia ex priuilegio Pij V. administrare omnia Sacramenta possunt, vbi Parochi non sunt.

Circa Caput. XX. num. 461.

Ubi de dispensatione in voto Castitatis.

308 **D**E hoc *Quaest. 98. s. vltimo.* vbi priuilegium Clementis VIII. pro PP. Carmelitanis Discalceatis adducit, iuxta quod ex rationabili causa licet, necessitatis nempe, utilitatis, conuersionis, & salutis animarum illarum partium. Quod & de voto religionis similiter concedit. Licebit ergo & in Indiis ex vi communicationis, quia concessio illa generalis est pro teris infidelium, vbi & fideles etiam fortè sint, vt Clemens loquitur & ita concessio ista non est more aliarum pro Missionarijs Apostolicis regulanda, quarum Formulas exhibet Auctor *Titulo 16. in quarum Quartâ Sect. 6. s. 2.* quæ est pro Asiâ, Africâ, & Americâ, sic habetur: *Secundo, dispensandi, & commutandi vota simplicia, etiam castitatis, ex rationabili causa, in alia pia opera, non tamen religionis.* Sic ibi. Vbi quod de voto religionis dicitur, non obstat priori concessioni, quia concessio limitata ampliorem non tollit, dum non exprimit: vt tradunt Abbas, Portel, Sigismundus Scaccia, P. Arriaga, & P. Palau, quos adducit Auctor *Quaest. 95. num. 1.* vbi id tamquam probabile proponit, & pro eo statuit primam Assertionem.

Circa Caput XXII. de venditione armorum pro infidelibus.

309 **D**E hoc agit *Quaest. 202.* vbi hæc habet. *Primum* non prohiberi, quando de abusu contra Catholicos non constat, etiam si aliquando per accidens contra intentionem contingat, cum multis *numer. 1.* *Secundum*, incidere in excommunicationem, qui in ipsis terris infidelium arma conficit & vendit: pro quo Auctores citat, sicut & pro contrariâ sententiâ. Licet enim non deferat, præbet tamen auxilium, quod expressè prohibitum. Oppositum tenet Leander *Parte 4. Tractat. 3. Disput. 7. Quaest. 2.* cum Alterio & P. Petro Hurtado. *Tertium*, metum grauem excusare, si non præponderet damnum Christianæ Reipublicæ, vt est à S. Congregatione declaratum. Id quod raro eueniet, cum illud, quod facere vnus homo potest, magnum nequeat dispendium afferre, & ita non præponderat proprio, siue vxoris, filiorum, parentum, aut consanguineorum vel affinium, seu intimatorum amicorum: ex Sousa in *explicatione Bullæ Cœna, Disp. 51. num. 5.* Pro quo & Leander *suprà, Quaest. 66.* ex PP. Suario & Petro Hurtado. *Quartum*, quando damnum commune præponderat; peccari quidem grauius, sed non incurri excommunicationem; sic bonis Auctoribus affirmantibus, sed negantibus grauissimis alijs, quorum vrgentiùs videtur fundamentum; sed fauorabilius aliud

PPP 3 promi-

promiserit preferendum. *Quintum* exulari vententem ob redemptionem captiuorum. Sic apud illum multi. *Sextum*, hereticos expressè seu nominatim declaratos, de quibus *Canone 7. Bullæ*, esse eos, qui sequuntur sectam expressè damnatam, vt Lutheri, Caluini &c. contra non paucos volentes propriis expressis nominibus declaratos esse debere.

Circa Caput XXIII. De Indulgentiis.

310 **D**E illis *Quæst. 98. s. 25. & num. 137.* & Religiosos in partibus infidelium illas concedere posse, quas Episcopi: Visitantes eorum Ecclesias centum dies Indulgentiæ consequi affirmat. *num. 138.* Pro quibus omnes illæ, quas in Terra-sancta fideles consequuntur, de quo *num. 139.* & ex Fr. Emmanuele *Tomo 3. 99. regular. quæst. 98. artic. 1. & 2.* in Noua-Hispania visitantes Ecclesias PP. Prædicatorum Indulgentiam plenariam in Festis S. Dominici, S. Thomæ, S. Vincentij, & S. Catharinæ Senensis, ex Motu proprio Pij V. & confessos ac contritos, si in Octauis SS. Dominici & Thomæ Eucharistiam sumpserint, similiter Indulgentiam plenariam. Quam concessionem extendit ad Ecclesias PP. Minorum, & S. Augustini in Noua-Hispania. Additque per communicationem idem habere Ecclesias aliorum Ordinum in Festis suorum Sanctorum, etiam Beatificatorum, vt B. Andreæ Caietani, & B. Andreæ Auellini. Sic enim *num. 139. & 140.* Indorum priuilegium vt sine confessione, dum Confessarij copia deest, lucrari Iubilæum possint, habet *n. 141.* de quo & Nos *num. 233. & 234.* Esse etiam pro eo die, quo PP. Dominicani iter aggrediuntur ad Indos, & quo perueniunt, aut in itinere decedunt, tradit *num. 142.* esseque Pij IV. cum tamen sit Pij V. apud Fr. Emmanuelem *Artic. 2.* quia ex eadem Bulla, de qua *suprà Ann. 1571.* & ex eadem ibidem docentes Indos eorum idioma totiesquoties centum dies. Ac tandem ex Paulo V. eadem quæ ex Pio V. pro Religiosis omnibus, sed confessis, & sacra Communione refectis. Sic *num. 144.* Nec de Indiis tantum procedit, sed de infidelium ac hereticorum quorumlibet conuersione. Eamque consequi Fratres laicos ex P. Pellizario *Tomo 2. Tract. 8. num. 200.* firmat. *num. 145.*

311 **C**irca quæ id quod de communicatione aliarum Religionum dicitur pro Indulgentia illâ Nouæ-Hispaniæ, est tantum probabile iuxta à Nobis hoc *Titulo num. 141. & seqq.* Communicationem siquidem in Indulgentiis negant multi. Propter quod concessio pro PP. Prædicatoribus ad duos alios Ordines fuit extensa, supponentibus eorum Religiosis non extendi, aut valde dubitantibus circa illud. Id quod dicendum potius de extensione ad Prouincias alias Indiarum: pro quo & illud est fundamentum, quod à Nobis propositum hoc etiam *Titulo Cap. 5. Diçto 4.* Cum autem visitantibus Ecclesias Indulgentia plebana concedatur, quid noui habet quod postea illa pro communicantibus aut Missam celebrantibus concedatur? Fr. Emmanuel *tit. Artic. 1.* quasi pro Textu addit, *A fortiori.* Nihil ergo maius additum, sed maius pro consecutione

Indulgentiæ fundamentum. Quod autem insuper concedit Pontifex, vt celebrantes, aut facientes celebrare in Festis D. Dominici, & D. Thomæ, toties consequantur per modum Iubilæi eandem, aliquid magis speciale videtur indicare, cum pro Sanctorum omnium Festis non procedat, de quibus prius. Nec verò quale sit appareat, nam quod *Toties* dicitur, etiam de aliis Festis dictum fuerat, sicut per modum Iubilæi, quod ad electionem Confessarij solet usurpari. Est ergo speciale, sed latens, & Deo soli notum, quod esse satis debet, vt iuxta concessionem operantes, specialem sibi possint suo reuelandum tempore thesaurum expectare. Fundendæ preces iuxta Pontificis præscriptum pro augmento Christianæ Religionis, felici statu Sedis Apostolicæ, & infidelium conuersione.

312 **P**ro euntibus ad Indias duo sunt priuilegia similia, Pij V. & Pauli V. sed ille communionem non petit, quam tamen petit iste. Et si die inchoandi itineris, aut consummati, non est pro eo commoditas, quid tunc? Priuilegium Pij V. tantum in eo casu locum habebit, & Communionem ante iter inceptum præmissâ, aut consummato itinere, Pauli concessio valebit: neque aliud potest de voluntate Pontificum rationabiliter suspicari. Quamquam fortè non deest, qui pium contrarium sensum arbitretur, dum per eum non stat, cui facta est gratia pro Apostolicâ functione.

CIRCA TITVLVM XIII.

De Episcopis. Et Cap. 6. num. 65.

Ubi de illitteratorum Ordinatione ob Indicæ linguæ peritiam.

313 **T**antum esse necessitatem posse, vt prorsus illitteratus propter linguæ peritiam valeat ordinari, tenent ij, quos adducit *Quæst. 276.* quibus & assentitur ipse non absque formidine, & expectandam quidem ait Pontificis dispensationem, nisi biennium ferè sit elapsurum, vt in navigatione Indica solet accidere. Sed certè si ratio, quam ipse & alij adducunt, efficax est; quod scilicet multi sine Viatico & Pœnitentiæ Sacramento morientur, minus spatium videtur admittendum: immò nec peritia necessaria ob illam, sed aliquis notitia. Cum sit aliàs spes vt sic Ordinari ex Indorum communicatione maiorem sint illius notitiam adepturi, sicut etiam Latinæ, pro quo conscientia sunt eorum omerandæ. Sine necessitate autem Ordinationem, si aliàs sciat Ordinum functiones, ministrare posse, tenent P. Henriquez, P. Quintanad. Dicacus Perez, & Garcias apud Auctorem: quod negant alij apud ipsum mediâ gradientem viâ, & dicentem quod si omnino illitteratus sit, ita vt Grammaticam non audierit, est omnino irregularis, secus si aliqualem illius notitiam habeat, pro quo & Auctores adlegat. Certè si non possit sine adstantium offensione celebrare, ab Altari arcendus, vel iniungendum vt occultè celebret. Quoad Beneficium autem dictum à Nobis aliàs.

CIRCA

CIRCA TITVLVM XIV.

De Vicariis Generalibus Episcoporum.

314 **I**N aliquibus Indiarum partibus post mortem Episcoporum designantur auctoritate Apostolicâ eorum Vicarij, quia Capitulum non est. Sicut & ex eadem auctoritate ab Episcopis ante obitum. De his quæsitum an possint intra annum vacationis dimissionis concedere. Et responsum negatiuè à S. Congregatione, vt videri potest apud Auctorem *Quæst. 274.* sed videtur addenda limitatio iuxta præcedentem decisionem; videlicet si necessitas tanta non sit, vt Parochi defint & Ministri Euangelici, ex quo defectu ingens res Christiana sit acceptura dispendium: hic enim eadem ratio videtur militare.

CIRCA TITVLVM XVI.

& Cap. III.

Ubi de Confessione cum Complice.

315 **L**icere illam generaliter loquendo negat *Quæst. 162. Dub. 5.* pro quo & multiplicat probationes, secutus Basilium Poncium *Lib. 7. de Matrimonio Cap. 38. numer. 3.* vbi tamen id concedit in extremæ necessitatis casu, & urgente præcepto annuæ Confessionis sine copia alterius, nec possibili dissimulatione illud adimplendi. Adducit tamen *n. 33.* plures id concedentes cessante periculo consensus. Vult autem quod si ad evitandam infamiam Confessio faciendâ sit, debet illa dimidiari, tacendo impuros actus, iuges cogitationes de illo, & vix vnico verbo indicando breuissimè actus inhonestos cum illo habitos: immò neque hos, si in eorum recordatione magnum aduertat fore periculum. Quod quidem non videtur quomodo stare queat, Confessario scilicet scienti actus inhonestos secum habitos illos in Confessione non aperiri, saltem sub consula illa narratione: *Confiteor tibi actus inhonestos, quos feci, vel ea peccata, quæ tecum parata.* Nisi adeo doctus sit, vt has P. Verricelli animaduersiones habeat vsque quaque perspectas, & sciat à muliere dimidiari Confessionem posse circa idem pariter instructam: in quo grauis fortè periculum occurreret deprehendenti illam erga se vehementer affici, vt nequeat sine magno periculo commercij cum eo habiti recordari. Et quidem ob periculum in recordatione regulariter loquendo non excusatur quis à Confessione similibus, quando Confessio non est compliei faciendâ: ergo neque quando illi: si verò cum proposito emendationis accedat, quo & poterit ille ad emendationem consilium prouocari. Et sic debet iudicare femina, vnde non erit carnali scandali in illo, quidquid aliàs malitia in eo fuerit radicata.

316 **P**ergit, & *num. 41.* quod si dubitet Pœnitens an validæ fuerint Confessiones cum complice in carnali crimine factæ, debent repeti sub mortali, quia in dubio pro ea est parte iudicandi.

Theauri Indici Tom. II.

candum, pro qua stat præsumptio, iuxta communem doctrinam, pro qua ibi aliquos citat: quod in casu præsentis contingit, quia communiter in talibus Confessionibus mortale peccatum inuenitur. Sed cum tot sint Doctores, qui dicunt posse cessare periculum, non est adeo firma prædicta præsumptio, & valde durum est peccata huius generis iterum confiteri, quando & id semel facere est onus satis graue, præsertim respectu feminarum. Et non recordatio grauium in hoc lapsuum, argumento esse potest tales non extitisse, cum soleant quæ eiusmodi sunt ob suam gratitatem in memoria conseruari. Et hoc procedit quando tantum in confuso dubitatio occurrat ob multoties accidentia: si autem dubitaret de graui in eo peccato an consenserit, necnon, & ita an sacrilega fuerit Confessio, id iam non ob doctrinam de præsumptione iudicandum, sed ex ea, quæ habet peccata dubia mortalia esse confitenda, quod iam multi negant, & circa quod non oportet distineri.

CIRCA TITVLVM XVI.

& Cap. IV.

Ubi de Baptismo pro Parochis. Et quædam de Chocolato.

317 **Q**uestio 206. sic procedit, An extra necessitatem liceat committere laicis lapponensibus vt catechizent, ac Baptismi Sacramentum administrent? Respondetur negatiuè: nam si id fiat, paratur via ad Ecclesiasticam Hierarchiam subuertendam. Ita responderunt Theologi deputati à S. Congregatione de propaganda fide. Sic ibi. Ergo in necessitate id licet, nec sanè magnâ, eorum, quibus committitur, capacitate pensatâ.

318 **Q**uestione 210. quærit an portione Chocolaticâ possit Baptismus ministrari? de quo & *Quæst. 98. num. 133.* vbi affirmatiuè responderat, & probauerat hoc discursu. Nam in tali portione sex vnciæ aquæ sunt, & tres sacchari & aliorum aromatum: à maiori autem quantitate sumitur denominatio in mixtis, & ita simpliciter dici potest aqua, ac consequenter eadem baptizari. Hunc autem breuem discursum adiunctis aliis locupletauit *Quæst. 210. citata,* in qua non sex vnciæ aquæ, & tres sacchari atque aromatum adhiberi dicit, sed ex aliorum relatione, quinque aquæ, & duas aliorum. Neque hoc constans, cum & aliter fiat. De quo latè & cordatè Leander *Tomo aut. Parte 3. Tractatu 5. Quæst. 5.* Quinque deinde casus distinguit. *Primum* cum aqua valde superat Chocolatum, & nulla sit decoctio. Et tunc certum ait posse illo baptizari, sicut aqua laculenta mixtura similis, iuxta communem doctrinam. *Secundum*, cum facta est leuis decoctio ad primam ebullitionem. Et tunc similiter, neque iterandum sub conditione Baptismi, ex multorum, quos recenset, sententiâ. *Tertium*, quando dubitatur an decoctio sit magna, an magna vel modica spissitudo. Et tunc sicut materiâ dubiâ vitandam, & iterandum sub conditione, quod omnes ait tenere Doctores, & præ-

PPP 4

& præ-